



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 189. Idem Principatus Catholicæ Religioni restitutus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Sæc. XVII. sibus, ut huic unioni subscriberent, A. C. 1617. persuasit, refractarios autem edicto ad assensum adegit, quamvis postea Calvinistæ in Regem suum rebelles Renatum, quem Rex ad eos Legatum miserat, contumeliose ejectum, consputum, irrisum, omnique contumeliæ genere præsertim auctore Jacobo Forcæo Pro - Rege Calvini studiosissimo affecissent, eoquod hic Legatus ibidem leges Regias ipsis parum gratas promulgare jussus esset: unde Rex ad coercendos hosce rebelles Sectarios copias suas eo mittere cogebatur, uti postea referemus.

Vid. ad ann. 1620.

§. CLXXXIX.

Idem Principatus Catholicæ Religionis restitutus.

*Abrege
chron. de
l'Hist. Gall.
l. 3. p. 196.*

Quamvis Religio Catholica in Bearnensi Principatu per plurima sæcula quietam conservasset possessionem, & nonnisi anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo nono Calvinii Secta e suis cunis ad hanc ditionem per Joannem Labretanam Henrici IV. Matrem transplantata esset, nihilominus Bearnenses Calvinistæ depontanum suæ sectæ ac possessionis senium jactitabant; iniquas autem horum querelas flocci pendens Ludovicus Rex promulgato edicto Orthodoxos ritus & doctrinam, Religionemque

que Catholicam, ac præcipue incruentum in Templis Sacrificium, Episcopos Cænobiarchas, & sacratos animarum Pastores instaurari iussit. Insuper Ecclesiasticorum bona & facultates Calvinianis Ministris adjudicatas aut in profanos usus conversas, quas jam ante biennium Franciæ Clerus repetebat, pristinis suis Possessoribus legitimis restitui præcepit. Obstiterant acrius huic mandato Calviniani Verbi Nundinatores, eo obtentu, quod hi Ecclesiarum proventus ipsis annuæ pensionis nomine pro alendis uxoribus & liberis, ac prædicando Evangelio assignati fuissent: ne ergo hi pro more suo populum ad seditionem concitandi ansam exinde arriperent, Rex tantundem eis ex ærario rependi curabat, quantum injustæ cuiusque Ministelli possessioni juste detractum esset. His igitur Regiis legibus Calvinistarum manus potius, quam animi subscribere. Ab hac primum die, inquit Gramondus, Calvinistæ, qui hucusque Regi leges præscripserant, eas ab eo accepere, primus hic quoque in sectæ muros aries est adhibitus, quo tandem patuit, quod possent debellari etiam illi, quos suorum unione & concordia invictos fore, communis error vulgaverat.

Sæc. XVII.
A. C. 1617.

Sæc. XVII.
A. C. 1617.

§. CXC.

*Elbingensium cum Episcopo Varmi-
ensi controversia de Parochiali
civitatis Templo.*

Jam superioribus annis exorta erat inter Sigismundum Steinsonium Parochum, & Senatum civitatis Elbingensis in Prusia Polonica, ingens de Templo Parochiali controversia; cum vero Sigismundus Poloniæ Rex prævalente Sectariorum pertinacia Elbingenses ad officium per mandata sua reducere haud posset, eos tandem publico proscriptionis edicto coercere cogebatur. Horum calamitatem misertus Simon Rudnichius Varmiensis Episcopus inter præfatum Parochum & Senatum Heilsbergæ conventum haberi voluit, ac inter cetera concordiæ media proposuit, aut integram veteris urbis Parochiam Parocho esse relinquendam, aut occupata novæ civitatis Parochia, in veteri insuper urbe Templum novum esse extruendum. Præplacuit prima transactionis via, conventumque, ut Parochus solo veteris urbis Templo contentus esset, iis tamen conditionibus, I. Rex petente Episcopo caveat, ut hæc cessio privilegiis circa reliqua Tempora non sit præjudicio. II. Episcopus impetra-
ta